

A opus cōmento latius declarare. Illud tamē nō omiserim, Herculem illum Ægyptium, qui cum Osiride, vt Antiquitatum scriptores tradūt, Italiam ab amarissimo Gigantum iugo liberauit, per leonem intelligi, neq; quenquam aliū. Plures enim Hercules fuisse, & Arrianus & Diodorus historici prodidere: hunc autem omnium primum leonis insignia gestasse, tradunt. Caterū Heraclitus Ponticus superatū ab Hercule leonē ideo fingi dicit, quia Argius ille, de quo Græci plurima scripserunt, Hercules, furorem illum, quo ex atra bili plurimū laborauit, tandem edomuerit. Satis enim exploratum est ex iis quæ antea dicta sunt animal id per semetipsum immoderatis animis excitari. Sunt tamē qui per Herculem mysticē Solis lumen intelligant: leo verò cum Soli dicatus sit, manifestū est quid sibi velit Hercules, & leo. Nam & hinc Iubari stellæ nomen, qui Phosphorus est, quòd splendor eius in modum leoninæ iubæ diffunditur.

V I R T V S.

**V**T cunq; verò leoninū spoliū virtutis hieroglyphicum est, eaq; de causa Herculi dicatur, quem pro virtute veteres posuere: ideoq; Diogenes conspicatus quendam eo ornatu sibi gloriose placentem, exclamauit: Ecquid virtutis indumentum vituperas? Sed enim non leonis tantum, verum alterius etiam animantis gestare pellem, heroicum fuisse morem, didicim⁹ ex Apollonij commentariis, vbi Poeta scribit:

Δέρμα δ' ὄρνυ τάλυροιο ποδινεκὲς ἀμφ' ἔχειτ' ἄμυσ.

Et apud Virgilium Euandrus:

*Demissa ab leuā Pantera terga retorquet.*

V I R E S C E D E R E S A P I E N T I Æ.



V I R E S C E D E R E E L O Q U E N T I Æ.



b ij

**I**N Antiochi numo vides leonem quendam propemodum humi procumbentem, & superuolantem noctuam quod nonnulli vespertinum crepusculum indicare arbitrati sunt: quippe cadēte Sole, noctem, quam per auem eam intelligi volunt, exurgere. Ego verò per huiusmodi hieroglyphici figmentum significare crediderim, vires cedere sapiētiæ. Nam per leonem robur, per noctuam Mineruam intelligi, suis locis cōmentaria hæc ostēdēre. Eiusdem argumenti esse puto leonē in numo. cuius inscriptio est, ΜΙΑΗΤΩΝ, qui anterioribus pedibus inclinat ad humum, superne verò caduce⁹ exporrigitur, vt scilicet id ostendat, vires quantumlibet feroces sapientium eloquentiæ cedere. Numum vidi apud Maffeos Romæ. Quòd verò signum Iunonis Argis spectabatur palmite redimitum, subiecto pedibus eius corio leonino, id habebat hieroglyphici, quòd nouercam vtriusque priuigni exuuiis insultantem ostendebat. Callimachi id inuentum tradunt, qui Iunoni vitem induxit. Rem huiusmodi tangit Tertullianus.